

tim hoc loco adducendum putarim, bona vniuersitatis sine principis consensu alienari non posse. Merito hoc beneficium illi competens appellaueris, quum nulla potior inueniri potest ratio, quam vt princeps videat, ne detrimentum capiat vniuersitas. *a)* Hinc in iure nostro comparantur cum pupillis et minoribus *b)* et quum his ampla sciamus concessa esse priuilegia, *c)* non minora profecto sunt, quibus vniuersitates gaudent. Princeps iis quasi curator existit; huius consensus exigitur in alienatione, et vniuersitatem eiusque bona commendata sibi habet, vt tutor siue curator pupillorum minorumue. Reipublicae bene est, si singulorum et potissimum vniuersitatum commodum promouetur. Si his praeiudicium affertur, ad plures damnum penetrat, cui sapientissimum, quod semper praesumitur principis consilium obuenire debet.

§. VII.

**A**ccedit vero et alia ratio, superioris consensum in contractibus, vniuersitas quos celebrat, exigens. Bona vniuersitatis, si non a principe donata fuerint, attamen eius gratiosissimis priuilegiis, supra recensitis, ornata esse, indeque valorem suum traxisse, certum est. Haec, quum rebus adhaerent, realia censentur. Eadem etsi ordinarie ad heredes atque possessores transeant, nihil tamen obstat, quo minus princeps ea

*a)* L. 27. C. d. donat. CHRISTINAEVS Vol. 5. decis. 80. n. 14.

*b)* L. 3. C. de iure reip. et GODOFR. ad h. l.

*c)* L. 5. §. 10. n. ff. d. Reb. eor. qui sub tut. L. 8. ff. eod. tit. L. 6. C. eod. tit. L. 5. §. 12. ff. b. t. L. 16. C. d. praed. min. haec omnia profixe recensent MATTH. DE AFFLICTIS in constit. Siciliae de restit. min. n. 24. IAC. PHIL. PORTA Conf. 19. n. 80. lib. 7. et praeceteris SIMONCELLA de decret. L. 1. tit. 1. n. 16.